



xl. b.

4. 37 #



15.
EPISTOLA GRATVLATORIA

AD

VIRVM

SVMME REVERENDVM MAGNIFICVM EXCEL-
LENTISSIMVMQVE

ERNESTVM FRIDERICVM
WERNSDORFIVM

SS. THEOL. D. ET P. P. O. IN ACADEMIA VITEMBERGENSI NEC NON
ALVMNOR. ELECTORAL. EPHORVM ET ORDINIS SVI H. T.
PROCANCELLARIVM

IPSI SOLENNITATI

D. VI. AVG. MDCCLXX.

QVO

TEMPLVM ACADEMICVM RESTAVRA-
TVM INAUGVRABITVR

DICATA

A

JOANNE GOTTLIEB THENIO.

A. M. ET DIAC. AD ÆD. CRVCIS SVBSTIT.
P. T. EMERITO.

EXPLICATVR LOCVS ACT. XIX. 1-5.

D R E S D A E

LITTERIS JOANNIS MARTINI LEHMANNI
TYPOGRAPHI FRIDERICOSTADIENSIS.

EPISTOLA GRATULATORIA

VIRVM

SVMMAE REVERENDVM MARIANVSVS FACIT
LENTINVSVS

ERNESTVM FRIDERICVM
WERNERDORFVM

SEPTIMO D. M. P. O. IN ACADEMIA LENTINENSIS M. D. C. C. C. C. C.

D. M. P. O. M. D. C. C. C. C. C.

TELEPHVM ACADEMICOVSVS RESTATVRA
TVS EMANVAVIT

IOHANNES GOTTLIEB TRUBNIO

A MARIANVSVS FACIT

LENTINVSVS

D. M. P. O.

FRIDERICVS WERNERDORFVS
PROFESSOR PRAECIPVVS



VIR MAGNIFICE ET SUMME REVERENDE

Fautor & Amice cum observantia Colende.

Cum amicitiae illius, quam Tecum, VIR SUMME REVERENDE, Lipsiae quondam colere mihi datum fuit, iucunda recordatio per se iam ex animo meo deleri nunquam possit, reviviscit illa subinde & nova incrementa capit multis illis & variis Tuae erga me benevolentiae documentis, quibus haecenus me etiam absentem ornare non destitisti. Quoniam igitur suavi litterarum commercio, quod haecenus inter nos viguit, ita me sentio affectum, ut publicum aliquod meae erga Te voluntatis testimonium extare cupiam; praesentem hanc occasionem arripio, qua Tibi, qui iam in Solemnitate Academiae Vitembergensis de Templo Academico post bellicas calamitates nunc restituto ovantis non solum cum reliquis Summe Reverendis Theologis exultas, sed & inter Solemnia Dedicationis huius Templi peculiare officii partes obundas habes, hanc Tuam laetitiam piam, solidam atque insignem, quam dudum ante quasi in sinum meum effundere voluisti, publice congratuler, & simul argumentum Theologicum, de quo animi mei sensa brevissimis expromere

mere mihi iam ante aliquod tempus propofueram, paulo curatius hic pertractem: Non enim plane inanem hanc epistolam effe volebam, & argumento isti, per se quidem iam satis commendabili, tamen plus commendationis Tuo Nominis, & Solennitatis Academicae per Te inter alios concelebrandae splendore, accedere posse existimabam.

* * *

Itaque ex titulo huius Epistolae satis perspicis, VIR SUMME REVERENDE, me super locum ex Actis Cap. XIX. 1-5. ab Interpretibus varie tractatum, iam commentari velle. Huius mei propositi rationes has habeto: Accidit nimirum, ut, cum anno circiter abhinc Programma Theologi Helmstadiensis, S. R. CARPZOVII, quod 1768. prodiit hoc titulo insignitum: „Acta Pauli cum Ephesius duodecim, sive expositio literalis hystoriae Actuum Apost. 19, 1-7.“ mihi ex Commentario quodam Nova literaria recensente innotesceret, ego occasione interpretationis Carpzovianae, quae pro nova venditabatur,*) mihi autem, etsi optimo consilio excogitata, admodum dura videbatur, ad totam illam Lucae narrationem, quae Act. XIX. 1-7. continetur, plus una vice perlegendam allicerer, & argumenta utriusque partis, tum eorum, qui baptismum iussu Apostoli reiteratum hic videre volunt, tum secus sentientium, denuo exacte ponderarem. In hac mea meditatione Exegetico-Theologica succurrebat mihi improvisa & nova, ut mihi videtur, ratio, quomodo hic locus intelligi & ab omnibus difficultatibus optime liberari posset, quam opportuna occasione publici iuris facere ducerem.

*) Interpretationis Carpzovianae summa, quam ex aliorum recensione didici, (ipsum enim programma non perlegere datum fuit) huc redit, ut versum 5. pro narratione Lucae, non continuata Pauli oratione, declaret, attamen, ad removendam reiterati baptismi suspitionem, vocem: *ἰσχυρισμοῦ* explicet de eo, quod agnoverint Ephesii isti duodecim, (sc. ex

Pauli oratione) se a Joanne baptizatos fuisse hoc consilio, ut fidem in Messiam proxime adventurum, quam a Joanne edocui erant, nunc in Jesum transferrent. Non proflus nova est haec vocis *ἰσχυρισμοῦ* enucleatio, quippe iam in Bibliis, uti vulgo audiunt, Tubingensibus ad h. l. ex mente quorundam Interpretum allegata.

cernebam. Brevissimis omnino id fieri posset, nisi Disputatio Theologica, quae sub Praesidio S. R. SEMLERI mense Martio anni praeteriti Halae Magdeburgicae prodiret, & rebaptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5. confirmat, maiorem curam huic negotio impendendam a me postulare. Etenim in hac Disputatione Semleriana *) multa in praeiudicium veritatis Christianae scripta leguntur, quae mihi necessario prius sunt examinanda, quam ad ipsam causam accedere possim, nisi rem magis implicare, quam explicare, voluisse videri velim.

In ista igitur Disputatione Halensi, statim in praefatione, vitium illud factorum, uti audiunt, interpretum taxatur, „qui, quando ad librorum sacrorum interpretationem accedant, non liberaliter operam dent, sed „suae sectae decreta & *praeceptas* opiniones ubique soleant invenire, itaque „non efferre sensum, sed inferre, malint: „ id quod dein speciatim loco huic nostro contigisse adseritur. Ne igitur idem mihi, rebaptizatos esse, de quibus agitur Act. XIX. 5. negaturo, obiici queat, opus est, ut ante, quam ad locum scripturae ipsum accedam, doctrinam veram & sanam de valore semel suscepti baptismi exponam & ex historiis illustrem, argumentis porro idoneis stabiliam, nec non de vera vi & efficacia baptismi, vti a primo N. T. praecone Joanne administratus fuit, ex scripturis necessaria praemoneam & fundamenti loco ponam: quo facto calumnia ista, ac si, qui Ephesios duodecim Pauli iussu rebaptizatos negent, ex sectae decretis id faciant, per se corruet.

Est igitur constans & recta sententia Ecclesiae nostrae EvangelicoLutheranae, *cum, qui semel recte, b. e. ex Dei instituto, baptizatus sit, adeoque per baptismum in Ecclesiam N. T. introierit, ex nullo unquam praetextu rebaptizandum esse, sed esse hoc initiationis Sacramentum pro irreiterabili sua natura declarandum.* Occasio huius sententiae defendendae Theologis Ecclesiae nostrae omnino inde subnata fuit, quod statim sub primordiis Reformationis

A 3

tionis

*) Huius Disputationis Auctor in titulo inscribitur Jo. Friedericus Barthold, Berolinus:

interim compendii gratia Disputationem ipsam Semlerianam plerumque nominare liceat.

tionis Anabaptistae Paedobaptismum *) reiicientes Christianos adultiores factos denuo baptizandos esse clamarent. Neque tamen ideo solum, quo Anabaptistis vel Pontificiis fortius obstitent, eo devenisse censendi sunt nostrates Theologi, ut Joannis & Christi vel Apostolorum Baptismo unam eandemque efficaciam attribuerent, ideoque a Joanne lotos ab Apostolis denuo baptizandos fuisse negarent, (quod Disputatio Semleriana, quae hic auctoritatem Patrum quorundam & Romanae Ecclesiae Doctorum magis sequi amat, quam ductum scripturae, recte sentientibus obicit) sed rationes huius suae sententiae habuerunt gravissimas ex rei natura & Joannis, Christi, Apostolorumque doctrina desumptas, ad quas iam pergere mihi animus est.

Stat ergo sententia pluribus nunc roboranda: *Scripturam s. ipsam discrimen illud inter Joannis & Apostolorum baptismum, quod Disputatio Semleriana praeter omne ius & fas noviter figere & in immensum extollere voluit, prorsus ignorare, adeoque Joannis baptismum, quoad vim & efficaciam sacramentalem, prorsus eundem esse & fuisse cum baptismo ab Apostolis post Christi resurrectionem administrato.* Ne vero mihi statim in limine demonstrationis verba N. T. talia obiiciantur, ubi $\tau\omicron\upsilon\sigma$ βαπτισματὶ $\tau\omicron\upsilon\sigma$ ἰαχὴν cum doctrina Apostolorum post effusionem Spiritus s. & huius effectus comparato minor quaedam vis aperte tribuitur, qualia sunt forte Lucae verba, quae Act. XVIII. 25. & XIX. ab initio leguntur, & quae Disputatio Semleriana ex Patrum auctoritate maxime urget; probe notandum, baptismum Joannis, quoad Sacramentum N. T. erat, non debere confundi cum eius doctrinis &

prae-

*) Pro Paedobaptismi innocentia unicum hoc monere liceat: Etsi concedi possit, Joannem Baptistam, & Christi Apostolos, primosque Ecclesiae Christianae doctores, qui Ecclesiam Christianam fundandam inveniebant, non nisi adultos baptizasse, quoniam scilicet Ecclesiam Christi aliter fundare non poterant, nisi per tales, qui fidem in Christum & fidei doctrinas animo percipere, & ore confiteri, profitevi ac propagare valerent; (quod non est infantum) tamen inde non sequitur, paedobaptismum in Ecclesia iam fundata regnantem vel absurdum, vel invalidum esse. Vti enim

tunc ex adultis primi Christiani fiebat hoc modo, ut a primis N. T. praeconibus *partim* doctrinam Christianam edocerentur, *partim* baptizarentur; (quod utrumque simul & eodem tempore tunc plerumque fiebat) ita & ex mandato Christi Matth. XXVIII. v. 19. 20. Christianorum infantes hoc modo possunt in gremium Ecclesiae Christi recipi, ut *primo* baptizentur, *dein* annis adultioribus edocentur. Et enim ipse Christus $\tau\omicron\upsilon\sigma$ βαπτισματὶ $\tau\omicron\upsilon\sigma$ διδωσκον praepo-

praeceptis: id quod re vera fit ab his, qui baptismum Joannis pro imperfecto declarant. Etenim Joannis doctrina & praecepta, quanquam iamiam ad N. T. disciplinam, non V. pertinerent; tamen omnino, quod ambabus largior, & ipse Joannes profitebatur, a Christi & Apostolorum praeceptis ita fere differebant, ut diluculum a plena diei luce differt. Prius est lux obscurior & imperfectior plenam lucem praecedens; ita & doctrina Joannis Christi doctrinam praecedere & mentes ad hanc percipiendam saltem praeparare debebat: neutiquam vero inde sequitur, Joannis baptismum, tamquam sacramentum, invalidum & imperfectum fuisse. Evanescet statim hoc ex idearum separandarum confusione enatum figmentum, ut primum quis baptismum Joannis pro Sacramento N. T. agnoscat, & tamquam actum sacramentalem accuratius consideraverit. Etenim, cum ad Sacramenti veritatem actus quidam visibilis & externus a Deo praeceptus, & pro signo vel adiumento conferendi invisibilis beneficii & spiritualis vi promissi cuiusdam institutus, requiratur, & haec omnia baptismum Joannis & Apostolorum adeo aequo iure insint, ut Apostolorum baptismus per se nihil praeterea dederit, *) quam quod Joannis baptismus conferret; necessario inde consequitur, Joannis baptismum eiusdem auctoritatis & efficaciac fuisse, cuius fuit Christi & Apo-

*) Hic lectores Disputationis Halensis facpius allegatae admonendi mihi sunt, ut magnam iudicii eclipsin in Auctore huius Disputationis necum animadvertant. Etenim, quando §. VI. sub finem contra S. R. CARPZOVIVM adferere vult: Joannis baptismum non habuisse aequalem & eandem vim, ac Christi baptismum, provocat ad verba N. T. imò & ipse Joannis, ubi Christus baptizaturus *Spiritu* S. promittitur. Quid tandem de tali Disputatore statuamus, qui discrimen inter Joannis & Christi vel Apostolorum baptismum fixurus non aquae baptismum a Christo praeceptum & Apostolis iniunctum cum Joannis baptismum confert, sed longe alium actum ministerialem, ubi omnino Christus cum Apostolis Joanne maior esse debebat, & qui ob rationes hic non allegandas metaphorice in N. T. baptizatio dici solet, substituit? Num lectoribus imponere, an se ipsum egregie fallere, voluit?

Neutrum deest bonum disputatorem! Se ipsum sine dubio sefellit Auctor Disputationis ex praecipitantia. Etenim §. VIII. ipse id affert, quod contra hanc confusionem baptismi aquae ab Apostolis administrati, & manuum impositionis, qua Spiritus s. communicabatur, iam urgere volebam: maximum scilicet discrimen inter haec duo interesse. Non enim omnes promissive, qui ab Apostolis baptizati erant, etiam donis Sp. s. illis extraordinariis ornabantur. Et prima omnium essetio Sp. s. in Apostolos & solemnissima his a Joanne prius baptizatis non obigit cum baptismum quodam novo vel iterato, qui tunc per Christum ipsum administrandus fuisset: cum potius talis Anabaptismus ad minuendam baptismi Joannei vim & auctoritatem effictus, & in omnibus a Joanne prius baptizatis necessario repetendus, nil nisi somnium sit & figmentum.

stolorum. De eo enim nemo Christianorum dubitabit, Joannem ex Dei mandato, tamquam legatum divinum, baptizasse. Quousque autem vis & efficacia baptismi Joannei se extenderit? iam disquirendum est, quoniam Disputatio Semleriana hic ingens discrimen inter Christi & Joannis baptismum ponit.

Fundamenta novae huius opinionis per Disputationem sparsa haec fere sunt: „*Quoniam Joannes non baptizaverit auctoritate & nomine Jesu, utens, vel homines ad ipsum accedentes non professi sint fidem in Jesum Nazarenum, baptismus Joannis tantum dicatur baptisma veteris, *) a Joanne baptizati Joannis discipuli dicantur, non Jesu, & baptizati ab eodem ceremonias Judaicas adhuc observarint, imo per Apostolos rebaptizandi fuerint; hinc Joannis baptismum non fuisse Christianum, sed imperfectiorem, & per Apostolorum baptismum abrogandum.*„

Vides, OPTIME WERNSDORFI, meum omnino esse, argumenta haec, etsi scilicet sunt, non tam Tua caussa, quam aliorum, & ob rei momentum, ordine perlustrare & cum cura refellere. Quod igitur Joannes primo non baptizavit auctoritate & nomine Jesu utens, cum ambigue dictum sit, & tum neget, uti ex ipsa Disputatione clarius elucet, auctoritatem mandati, tum & auctoritatem Nominis Jesu, ad quod fide recipiendum & adorandum baptizati ablegari debuerint, ex parte concedi potest salva auctoritate baptismi Joannei, ex parte aperte negari debet. A Jesu Nazareno quidem Joannes ad baptizandum per rei naturam ablegari non poterat: quoniam Jesus Nazareus in Officio administrando Joannem tempore sequi, imo per ipsum Joannem ex speciali oeconomia inaugurari debebat. Numquid

vero

*) Disp. Semleriana in P. Historica p. 19. approbat sententiam Chryostomi in homilia quadam imperfectionem baptismi Joannei inde arguentis, „quod nec Spiritum s. dederit, (si omnia omnino dona spiritualia a baptismo Joannis Chryostomus excludit, profundam ignorantiam prodit; sin miraculosa saltem, halucinatur in argumentando; sin studio confundit, quae distinguenda erant, ne quidem audiendus est.) „nec remissionem pecca-

„torum per gratiam.„ Hoc posterius ad contumeliam baptismi Joannei dictum Auctori Disp. in totum imputare nolo, quoniam in P. I. Hermen. Dogm. concedit, remissionem peccatorum a Jo. baptizatis contigisse. Sed ubi iudicium? ubi constantia Disputatoris? Patres interdum inconstantissime differere solere constat. Qui horum auctoritate nititur, caute mercari opus habet.

vero hoc officiet dignitati & auctoritati baptismi Joannei? Inverti posset argumentum, si ludere deceret in Disp. Theol. gravissima, hoc modo: Quicumque baptizando ipsum Jesum Christum inaugurare debuit, huius ministerium & baptismus maioris auctoritatis & dignitatis est, quam Christi legatorum. Sed agamus serio! Joannes baptizavit auctoritate divina & peculiari Dei mandato, tamquam Prophetarum maximus, id quod non solum tota Scriptura loquitur, sed & hostes Christi infensissimi inter Judaeos tempore Christi non aperte negare ausi sunt: baptismus ergo Joannis, cum Apostolorum baptismum collatus, ex mandati vel legationis diversitate nullam imperfectionis labem contrahere potuit. Potius tuto nos Christiani ita argumentari possumus, imo debemus: auctoritatem mandati, quo Joannes ad baptizandum ablegatus fuit, & auctoritatem mandati eius, quod Apostolos in omnem terram ad baptizandum exire iussit, pari passu ambulare debere: Jam cum Joannem ab ipso vero & summo Deo ad baptizandum missum esse ἀνατιθέμενος concedendum sit; sequi, Jesum Nazarenum in ablegandis Apostolis ad baptizandum parem cum Deo summo potestatem demonstrasse.*) Hoc enim modo Christus ipse suos argumentari vult Matth. XXVIII. v. 18. 19. 20.

Quomodo autem, & qua fronte, ut ad alterum transeam, Disp. Seml. auctoritatem Nominis Jesu fide recipiendi a baptismum Joannis abiudicare poterit? ego prorsus ignoro. Etenim, quando contra S. R. CARPZOVIVM, BEZAM & alios, qui sermonem Pauli ad Ephesios istos Act. XIX. pro scopo habuisse contendunt, „evincere, baptismum Joannis non aliter interpretari, dum esse, quam si a Jo. baptizati εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ baptizati essent,“ disputat, discrimen inter Jo. & Apostolorum baptismum hoc modo stabilire audet:

*) Quod si igitur olim Arianus quidam Doctor voluisset Joannis baptismum imperfectionem baptismum Apostolorum facere hoc argumento, quod Apostoli a Jesu auctoritatem baptizandi acceperint, (quem Ariani Patre minore profirebantur) Joannes autem a Patre;

is ritum movisset orthodoxis. Constante philosophandum est! Interim argumenta pro summa Jesu Christi Deitate opportuno loco inculcare, nolint his temporibus Lectores pro superfluo existimare!

audet: „Jo baptismum fuisse εἰς μετανοίαν, non baptismum εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν; „in nomen Christi baptizari, vel Beza iudice, significare, se Christo per „baptismum dicare, eiusque doctrinam complecti, unde sequatur, Bezam „sibi ipsum contradicere, quando statuat, Paulum baptismum Joannis Act. „XIX. approbasse.“ In salvo res nostra est! proprioque ense se iugulat Auctor Disp. Hic enim singulis plagulis secum ipse pugnat: non item Beza! Concedit enim Disp. Hal. Auctor, Joannem populum admonuisse, ut crederent in mox appariturum Messiam, imo, dum ex suo ingenio formulam baptismi Joanneam fingit, recte monet, quemvis a Jo. baptizandum profiteri debuisse, se, si adpareat *Christus*, eius praecepta cuncta observaturum: *) Quid hoc est aliud, quam in nomen Jesu Christi baptizare? Etenim τὸ βαπτίζειν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, in Nomen Jesu Christi, quando in N. T. de Apostolorum baptismis legitur, non respicit ad formulam quandam baptismalem, **) (etenim Apostoli, si formula solemnī & rituali usi sunt, nulla alia sunt usi, quam illa a Christo Magistro praescripta)***) sed respicit

*) Fidem in mox apparituram Messiam proprie loquendo postulabat Jo. a baptizandis, quae si vera est, fructus obedientiae dignos post se trahit: In Disp. Seml. autem *περὶ τὸν* plerumque explicatur de servandis Christi praeceptis.

**) Si quaeratur: Qua formula Jo. Baptista usus sit? non opus est, cum Disp. Seml. formulam quandam ex ingenio fingere; sed, vel cum b. QUERSTEDIO in Syst. Theol. responderi potest: nos tam diu asserere, Joannem in Nomine Patris, Filii & Sp. s. baptizasse: donec Bellarminus, vel alius calumniator baptismi Joannei, contrarium probet; vel, uti ego malim: sufficisse ad obtinendam baptismi Joannei virtutem & efficaciam, si baptizandi prius promiserint, sese & credere dictis Joannis & admonitionibus eiusdem obedire velle. Jam, cum Joannes non se ipsum praedicaret & laudaret; sed Christum mox venturum, & postquam hic apparuerat, discipulos suos & auditores omnes ad Jesum Nazarenum, quem digitis monstrabat, fide, tamquam verum Messiam, recipiendum & audiendum, ablegaret; *hinc nullum aliud Nomen* fingi pot-

est, in quod homines a Jo. baptizati esse dicantur, nisi Nomen Jesu Christi, in quo uno omnis salus est. Act. III. 12.

***) Formula Baptismi a Christo praescripta, ut Sibi sese dedere volentes baptizari debeant in Nomen Patris, & Filii, & Sp. s. praetereaque admoneri, ut omnia Sua praecepta servent, paucis verbis totam fere Religionis Christianae summam quasi in compendio complectitur, adeo, ut sapientior & perfectior nulla excogitari possit. Imprimis reverendum mysterium SS. Trinitatis & aequalitatis essentiae Personarum divinarum hac formula sic exprimitur, ut melius non possit. Dum enim Christus studio a voce Θεός abstinet, & tantum εἰς ὄνομα τῶ πατρὸς, καὶ τῶ υἱοῦ, καὶ τῶ ἁγίου Πνεύματος baptizare iuber: quid hoc est aliud, quam in loco exponere: Quinam sit unice verus Deus? & quod Eius Nomen? Nam in Nomen veri Dei verae religionis alumni unice initiandi veniunt. Et, dum baptizati iubentur Christi praecepta omnia servare, ablegantur hoc eodem mandato ad unicum humani generis Magistrum, Sospitorem & Redemptorem, qui est Christus.

ad unionem baptizatorum, tamquam membrorum Ecclesiae N. T. cum Christo Capite Corporis huius Mystici: quae unio scopus erat tum praedicationis Evangelii, tum baptismi, & partim fide baptizatorum, partim ipso illo N. T. baptismo efficiebatur, sive Joannis, sive Apostolorum ministerium intercederet. Jam vero scopus doctrinae & baptismi Joannis unicus is erat ex Dei voluntate & ipsius Joannis sententia: Christo viam praeparare in mentibus hominum, auditores ad fidem in Jesum Nazarenum adducere: *) neminem praeterea baptizabat, nisi, qui promitteret, se Messiae apparituro adhaesurum; Ergo a Joanne baptizati omnes baptizabantur in Jesum Christum, in Nomen Domini Jesu, imo in mortem Christi! **) & omnes baptismi beneficium sibi a Jo. expectantes, etsi fidem in Jesum Nazarenum expressis verbis illo tempore nondum profiteri debuerint, tamen a Baptista admonebantur, ut, si irae divinae imminenti vim effugere vellent, Jesum pro Messia agnoscere & fide amplecti deberent.

Id clarius porro patebit exinde, si Lectores edocuero, quaenam proprie & qualis illa *μεταβολη* fuerit, quam Joannes suae aetatis hominibus

B 2

com-

*) Etsi Joannes per aliquod tempus, quo proxime instantem Messiae adventum annuntiaret, ipse Jesum Nazarenum auditoribus digitis monstrare nondum potuerit, cuius quippe faciem ipse nondum viderat; tamen vel illi ipsi, quos illo primo ministerii tempore baptizavit, (inter quos sine dubio etiam duodecim isti Ephesii Act. XIX. fuere, forte fortuna in Judaeam delati & confessum e Judaea peregre abiturum) ex scopo ministerii Joannei in nulum aliud Nomen, nisi in Jesu Christi Nomen, baptizati esse dicendi sunt, qui quippe & a Joanne ipso prius obligarentur, ut Messiae patefacto, ut primum ipsis innoverit, se totos consecrarent. Aliter enim res nullo modo cogitari potest. Constat enim, quam diligenter Joannes Auditores suos, quando ipsum nimio honore afficere & Messiae loco habere volebant, a se ad Jesum alegaruit. Nec obstat, quod Disp. Seml. sub fin. §. VII. S. R. CARPZOVIO obicit: „si baptismus Joannis ita interpretandus veniret, actum esse aliquid cum

„istis Ephesii a Joanne, illis ipsis adhuc ignorantibus & infcis.„ Etenim hoc partim falsum est, partim bonae causae non obest. Falsum est, a Jo. baptizatos plane ignorasse, se per Jo. baptismum obligari ad recipiendum Messiam mox appariturum. Sit interea, ut quidam per plures annos cum Ephesii istis ignorarint, Messiam in persona Jesu Nazareni apparuisse, & doctrinam suam per splendorem donorum Sp. S. Joannea angustiore fecisse! Quid tum? Modo Jesum, ut primum illis innotesceret, ex voti baptismalis religione pro Messia agnoscerent, & Ipsi sese consecrarent! in utraque conditione erant digna membra Ecclesiae N. T. nec opus erat novo baptismo.

**) Disp. Seml. inter alia scribit: „Joannem & eius discipulos ignorasse baptismum Christianorum, qui fiebat *in rivo Jordanis*„ Christi Rom. 6.„ Bonus ille Joannes ignoravit ergo, (& ignoraverit per me!) quibus verbis Paulus aliquando ad ritum baptismalem respiciens studium sanctimoniae Romanis commenda-

commendare volebat. Etenim valde imprudenter agit Auctor Disp. Halensis, quod imperfectionem baptismi Joannei inde quoque arguendam sibi sumit, quia in Scripturis hic dicatur fuisse tantum baptismus poenitentiae. Ut enim taceam, Scripturam N. T. commendare Joannem, tamquam praedicantem baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum Luc. III. 3. nemini autem in N. T. Ecclesia remissionem peccatorum certo promitti & obtingere posse, nisi qui in Jesum Christum credit: hoc probe tenendum est, quod Disp. Seml. in totum ignorat, *μετανοίαν*, quam Joannes Baptista, primus N. T. praeco, & Jesu Nazareni praecursor & Encomiastes, suae aetatis hominibus omnibus & singulis, etiam probissimis & ingenuis veri Dei cultoribus inter Judaeos, commendandam & inculcandam habuerit, nil aliud proprie, & si exacte definiri debeat, fuisse, quam: talem mentis conformationem ingenti illi temporum conversioni, quae novam N. T. oconomiam apportabat, congruam, *) qua quilibet Judaeorum in Mosis locum auctoritatem Jesu veri Messiae surrogare, & hunc audire, hunc fide recipere, huic obedire, huic se dedere & consecrare ex voluntate divina tenebatur: id quod, si nostro more & paucis dicendum est, nil aliud sibi vult, quam quod nos Lutherani, auctoritate Apostolorum, veram & vivam fidem in Jesum Christum appellamus. **)

Omni-

mendaturus sit: modo non ignoraverit, Jesum esse Agnum Dei ad tollenda Mundi peccata mactandum, & immersionem in aquam Jordanis, qua ipse utebatur baptizans, a se baptizatos admonere debere, ut peccato mortui sint, & Deo vivant!

*) *μετανοήσε*, Joannes clamabat, appropinquavit enim regnum coelorum. Non igitur admodum liberalem operam attulit Disp. Seml. ad enucleandam vim vocis *μετανοήσε* a Jo. usurpatam, sed ex praecepto Compendii Theol. vel, quoniam *ἡ ἀποδοξία διὰ τὴν μετανοήσαν* explicat de *abstinentia a peccandi consuetudine*. Omnes, etiam optimi Judaeorum, opus habebant *μετανοήσε* illa, quam Joannes praedicabat: nonnulli autem praeterea admonendi

erant, ut etiam mores pravos mutarent. Hos jubet Joannes fructus poenitentiae dignos proferre: quod idem est cum Apostoli admonitione, ut Christiani vivant digne Evangelio Christo.

**) Ex hac observatione colligere datur, quam ignari scripturarum sunt hostes doctrinae Lutheri ex Papatu, quando ferre nolunt, ut fides pro parte poenitentiae declaratur. Voces Scripturae, quae hominibus tum V. tum N. T. conversionem vel poenitentiam iniungunt, pro subiectorum diversitate, quibus poenitentia opus est, diversam vim habent. Interdum poenitentia in Scripturis commendata nil praeterea dicit, nisi conversionem mentis fiduciam ad Deum vel Christum.

Omnia autem infirmiffimum argumentum pro discrimine baptismi Joannis & Apostolorum desumit Disp. Seml. hinc, quod a Jo. baptizati in N. T. scriptis dicantur discipuli Joannis, non Jesu, & hi iidem ceremonias Judaicas adhuc observarint. Numquid enim aliud ex titulo discipulorum Jo. ubi Christianorum nomini & societati opponitur, argui potest, quam ad summum doctrinae quoddam, attamen exiguum, discrimen? *) quod vere ad tempus aderat & non poterat non adesse, uti superius concessimus. Sit ita! societatem discipulorum Joannis ad tempus diversam fuisse a societate discipulorum Jesu Christi, nec non & Christianorum! Nonne tandem ex Dei voluntate, & ipsius Joanneae doctrinae scopo, hae societates diversae in unam coalescere debebant, & quidem sine baptismi repetitione? de quo dein: id quod revera factum esse, in sacris historiis narratur. At Joannis discipuli observabant adhuc circumcisionem & reliqua legis Judaicae scita, quorum apud Christianos nulla debebat esse auctoritas! Ergo in Christianorum societatem non, nisi intercedente novo baptismi, recipi poterant. — At Christus ipse cum Apostolis in Judaea degens omnia legis Judaicae scita observabat! **) Ergo vel ipse Christus rebaptizandus erat, quoniam Disp. Seml. ita iubet! At post Christi resurrectionem Apostoli & Christiani ex Judaeis in Palaestina degentes omnia legis Judaicae praecepta observabant, (quod vel nationis lege se teneri existimarent, vel ex prudentia, quoad Templum nondum dirutum erat, ***) & quoad inter tribules vivebant, qui

B 3

ipsis

*) Illud doctrinae discrimen tunc demum in oculos incurrebat, ubi aliqui de Jo. discipulis variis impedimentis ab audiendo Apostolorum praeconio, hinc & ab amplectendo Jesu Nazareno, per longius temporis spatium detinerentur, & interim adhuc Jo. doctrinam tenerent ac propagarent, uti ex Ephesiorum istorum & Apollo exemplis videre datur. Ceteroquin enim titulus discipulorum Joannis vel Jesu ante Christi mortem nil praeterea involvebat, quam magisterii diversitatem in una eademque doctrina N. T. propinanda.

**) Nisi Christus cum Apostolis, quamdiu inter Judaeos versabatur, omnia legis Mosai-

cae praecepta cum cura observasset, hostes eius non solum Ipsi illud exprobraturi erant, (etenim superstitiosam legis observationem Christo iniungere volebant Matth. XII. Jo. V.) sed & cum specie quadam veri clamare potuissent, Jesum *iure* ultimum mortis supplicium meruisse: quod non poterant, etsi coram tribunali Pontificis Christum violatae legis accusare varia crimina fingendo tentarent.

***) Qui consideraverit, synagogam Judaeam, vel ex Dei voluntate, honeste sepeliri debuisse, ideoque a tempore mortis Christi, (ubi terminus abrogandae legis ceremonialis, si praecise figi debeat, figendus erit) usque ad devasta-

ipsis ne ad momentum vitam concessissent, nisi omnibus Mosaicis ceremoniis operam darent, libere se Mosis adstringerent) praetereaque edicebant Act. XV. ad mentem & nutum Spiritus s. *solos Christianos de gentibus ad servanda Mosis praecepta nullo modo obligandos esse!* Ergo & hi tandem rebaptizandi erant? Vbi autem? & quando? & a quo? Quis quæso est historiae Ecclesiasticae adeo rudis, & iudicii Theologici adeo expertus, ut ignoret, legem ceremoniarum Mosaicarum, exceptis forsan iis, quae solam typi Christum praefigurantis rationem habebant, si fastus pharisaicus & meriti opinio abstitit, libere vel ab omnibus Christianis, etiam de gentibus, etiam post Christi resurrectionem, servari potuisse, & ideo tantum auctoritate Apostoli Pauli divina ex Ecclesia Christiana tandem expellendam fuisse, quoniam Judaizantes quidam doctores omnes & singulos de gentibus ad recipiendum legis Mosaicæ iugum cogere & compellere tentabant, unde metuendum erat, ne loco Christianismi Judaismus per totum orbem dominari inciperet. Et, si ob legem Mosis ritualement a Christiano homine adhuc servatam novo baptismo opus fuisset, tota Galatarum Ecclesia, quam Paulus recipiendo circumcisionis ceremoniam gratia Dei excidisse & a Christo fecissem ipse indicat Gal. V. iussu Apostoli rebaptizanda erat: de quo mandato nec vola, nec vestigium in tota Ep. ad Galatas occurrit, cum ceteroquin Apostolus nil intentatum relinquat, quod ad Galatas in officium reducendos conducere putaret.

Manet

devastationem urbis & Templi Judaeorum spatium circiter 40. annorum effluxisse, intra quod omnes Christiani ex Judæis salva vera fide in Jesum Nazarenum & salva Dei gratia legem, cui adfueri erant, ex quodam decori studio, & ne sine causa animos tribulium irritarent, cum cura, modo ne sub vana meriti opinione fieret, servare poterant, is non ita ineptierit, ut talem hominem ex Judæum pro rebaptizando declaret, si pro vere Christiano haberi debeat, & porro videbit, quam imprudenter Joannis doctrina cum baptismo coniuncta, quae, quoad etiam a Christi & Apostolorum

doctrina diversa erat, tamen vere N. T. doctrina & praeparatio ad Christianismum erat, & fere intra decennium cum Christianismo ex Dei voluntate coalescere debebat, cum ceremoniis Mosaicis ita, uti Diss. Seml. facit, commisceatur, ut Jo. doctrina apariter, per effectum novum quendam baptismum, abrogari debuerit, & quidem prius adhuc, quam Deus Christianos ex Judæis ab omni legis Mosaicæ vinculo liberare volebat. Nam usque ad excidium Templi Christiani Palaestineses ex Judæis faevitiam tribulium aliter effugere non poterant, quam morum similitudine.

Manet ergo, & stat haec nostra sententia inconcussa, baptismum Joannis cum Christi & Apostolorum baptismo eiusdem auctoritatis & efficaciae fuisse. Quam quidem, post discussa argumenta adversariorum, argumentis idoneis roborare cum nostrarum sit partium, brevissimis, & hoc unico iamiam superius ostenso argumento, evincemus: quoniam scilicet uterque baptismus ex Dei voluntate & scopo unum eundemque salutarem effectum apud baptizatos & doctrinae, quae utrumvis baptismum comitabatur, ex animo oboedientes producere poterat atque debebat. Jam, cum remissio peccatorum, regenerationis & adoptionis gratia divina, & salutis aeternae spes, tamquam salutare baptismi effectus, praeunte Scriptura, recenseri soleant; nullum dubium superest ex haecenus disputatis, quin haec beneficia omnibus, vel a Joanne, vel a Christo, vel ante vel post Christi resurrectionem, baptizatis & doctrinae vel Joannis, vel Apostolorum, credentibus vere cum aeterna salute ipsa obvenerint. Ut tamen vanitas praetensae necessitatis rebaptizandi a Jo. lotos, quam Disp. Seml. urget, adhuc plenius cuius in oculos incurrat, scopum & effectum genuinum baptismi, praeunte Christo ipso, praecise & generatim ita figemus, ut non solum mox memorata beneficia, quae credentibus obvenerint, includat, sed & in omnes unquam Dei iustu baptizatos cadat, cum probe sciamus, Christum ipsum, tamquam Ecclesiae Caput atque Dominum, a Joanne baptizandum fuisse, & quidem, ut sapienti, bonae & iustae Dei voluntati ex asse satisfaceret. Est ergo scopus baptismi, tamquam Sacramenti N. T. divinitus instituti, unicus, verus & adaequatus, Joannis & Christi baptismo, active & passive in Christi persona intelligendo, accommodatus ex Jo. III. 5. *τὸ introire in regnum caelorum, h. e. in Ecclesiam N. T.* Per baptismum Christus ipse, sed, ut Caput & Rex, in Ecclesiam introibat; similiter omnia Ecclesiae N. T. membra per baptismum in hanc societatem introire & cum Christo, Ecclesiae Capite, uniri possunt ac debent. Qui vero semel in Ecclesiam N. T. introierat, (qui quidem introitus tum in Joannis, tum in Apostolorum, baptismo volentibus patebat) is nullo sub praetextu rebaptizari opus habebat, etiamsi gratia omni excidisset: nedum, si solum in infirmitatis quodam gradu

gradu praeter voluntatem substitisset, ut isti Ephesii. Vterius progredi, proficere in doctrinae sensim magis apertae campo, & in vitae sanctimonia, opus erat neobaptizatis, s. Joannis, s. Christi discipuli essent: & vera resuscitatio opus habebant lapsi; neutiquam iteratione baptismi!

At enimvero, quis contra solem disputabit? Quis rationibus convellere studebit id, quod re vera factum esse historia testatur? Quod si enim Scriptura narrare videtur, discipulos Joannis ab Apostolis rebaptizatos esse; Quod si pro imperfectione baptismi Joannei, non nisi per succedentem Apostolorum baptismum tollenda, Patrum plerorumque ex utroque sole testimonia afferri possunt; (uti Disp. Seml. gloriatur) Quod si ex Jure Canonico veteri rursus baptizabantur, qui falsam aut dubiam doctrinam per baptismum acceperant, ut Sabelliani, Samosatreniani, Manichaei; quis contra baptismi iterationem adhuc morose pugnabit?

Putaresne, MI WERNSDORFI, quenquam ex Lutherana Ecclesia eo delabi posse, ut scribat: „Baptisma Joannis hoc commune habuit cum baptismo v. g. Sabellianorum, Manichaeorum vel aliorum haereticorum, ut „similiter non esset ille baptismus, quem Christus instituerat. „ Itaque locus Act. XIX. 5. difficultatibus suis, quas omnino habet, aliter liberari non poterat ab Auctore Disp. saepius allegatae, quam, ut ex propheta Dei hominem haereticum faceret, & eius doctrinam pro falsa vel dubia declarare auderet! *) Talia asserere est ea simul refutare apud recte sentientes & sacras paginas reverenter tractantes! Interim cum nunc in controversiam de baptismi haereticorum incidimus; non abs re erit, pauca quaedam ad scopum nostrum facientia hac de controversia monere. Scilicet consuetudinis erat in vetere Ecclesia, (nondum Juris, nedum Canonici) praesertim orientali, ut baptizati abs haereticis iterum baptizarentur ab orthodoxis, si quando in horum coetum transire vole-

*) Hoc non est liberaliter operam dare interpretandis Scripturis, sed audaci licentia in veritatem sacrosanctam & auctoritatem legatorum Dei impetum facere. Liberalius & religiosius omnino de primo N. T. praecone Joanne b. SAL. DEYLING quondam pro

concione animi sui sensa exprobebat, dum illum, ut me Lipsiae audire memini, commendabat, tamquam doctorem orthodoxum & a partibus Evangelico-Lutheranae Ecclesiae contra Pontificios stantem.

volebant. Recte tunc, quando talis coetus deferendus erat, ubi errores immanes de SS. Trinitate vel de Christi persona regnarent: quoniam talium coetuum baptismus pro nullo sine offensionis periculo declarari poterat. Quando autem CYPRIANVS, Episcopus Carthaginensis Novatianorum quodque baptismum pro nullo declarare volebat, qui non nisi ob improbatam ab orthodoxis Novati nimiam in lapsos severitatem a coetu orthodoxorum secesserant; recte, quantum ad id, huic sese opponebat Episcopus Romanus STEPHANVS, quoniam hoc vel simili modo errantes in gremium Ecclesiae recipi possunt, dummodo veram fidem Ecclesiae orthodoxae agnoscere & profiteri velint, sine baptismi, quem recte inter suos acceperunt, iteratione. Plura in hanc rem ex veteri historia hic disputare non est huius loci. Vnicum hoc, quod nostris temporibus accommodatum est, monere liceat! Scilicet, b. nostrum LVTHERVVM, quando locum Act. XIX. 5. de iterato baptismi intellexit, id sine dubio auctoritate Augustini deceptum fecisse. Ceteroquin enim, quod singulare Dei beneficium est, de virtute baptismi in Nomen Patris, Filii & Spiritus s. apud recte de Deo & Christo sentientes, est cetera errantes, celebrati recta ex Scripturis edoctus erat: quod Scripta Megalandri singulis paginis fere loquuntur. Hinc & derivandum, quod, non obstante dissidio ingenti inter coetum Romanae Ecclesiae, nostrae & per Calvinum reformatae, neuter tamen horum coetuum alterius baptismum pro invalido declarare audeat. Semper igitur redit id, quod superius evicimus: baptismum ex Dei vel Christi institutione rite administratum sub nullo praetextu iterari debere.

Errant igitur omnes illi Doctores Ecclesiae antiquioris, quos Disp. Seml. longa serie & cum ostentatione inani *) pro imperfectione baptismatis Joannei evincenda citare voluit, qui nimirum aperte pronuntiare ausi sunt, „omnes a Jo. baptizatos a Christi Apostolis rebaptizandos fuisse.“ Vbi, quod

*) Valde inanis est Pars Historica Disp. Seml. ideo, quod multa veterum loca partim mutila, partim ad rem nihil facientia, citat, interdum quoque, ut apud Zwinglium, totum operum eius & paginam lineolis - - indicat.

quod probe notandum; in fraudem insignem causae Semleri cedit, quod ex omnibus in hac Disputatione ex utroque sole citatis Doctoribus veteris Ecclesiae nemo, nisi forte CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS & AVGVSTINVS, disertis verbis ita pronuntient. Reliqui enim omnes vel obscurius loquuntur, ut vera ipsorum sententia ex locis citatis vix percipi possit, vel *doctrinam* Joannis cum *doctrina* Christi, *aquae* baptismum cum *ignis* baptismo comparant, ideoque in ista causa non allegari debebant.

Restat, ut tandem quoque Scripturae s. testimonia illa, quae causae Semleri patrocinari videantur, lustremus: siquidem hoc Disputationis Caput est, ex ipsis Scripturae fontibus definire: *num Jo. baptismus ibi pro tali instituto venditur, quod post Christi resurrectionem necessario abrogandum, & quidem per accedentem novam & sacramentalem immersionem in aquam, abrogandum fuerit? an potius, quod recta nostrae Ecclesiae doctrina vult, Joannis doctrina cum Christianismo post Christi resurrectionem plenius fundato sensum coalescere debuerit, & a Jo. baptizati in societatem Christianorum recipi potuerint debuerint, sine baptismi iteratione?*

Constat, omnes illos, qui pro explorato & confecto haberi volunt, saltem nonnullos a Jo. prius lotos ab Apostolis iterum baptizatos esse, provocare ad ingentem multitudinem a Jo. baptizatorum, indeque concludere, quoniam Lucas sub Act. Apost. initium v. c. Cap. II. narret, Apostolos statim in primis ad populum habitis orationibus omnibus & singulis auditorum suorum, inter quos multi sine dubio Jo. disciplinam profitentes fuerint, commendasse, ut baptizentur in nomen Jesu, hinc, cum dein turba hominum promiscua ad numerum aliquot millium excrecens iussu Apostolorum Sacramento baptismi initiata esse dicatur, sequi, horum aliquos a Jo. scilicet praebaptizatos tunc rebaptizatos fuisse. Dudum ad hoc responsum est a nostratibus: etiamsi hoc concedendum sit, tamen inde non sequi, hanc baptismi iterationem in se & ob baptismi Joannē insufficientiam vel imperfectionem necessariam fuisse. *) Posito, quosdam a Jo. lotos turbae eiusmodi,

*) Sapienter QVNSTEDIVS in Syst. III. *bes.* Obf. 4. monet: „morose non nega-
Theol. Cap. V. de Baptismo Lect. II. Quaest. „mus, quosdam a Jo. baptizatos a discipulis
„ Christi

modi, qualis Act. II. 41. commemoratur, interfuisse & denuo lotos esse, factum hoc esset ex praecipitanti quadam festinatione praebaptizatorum & ignorantibus Apostolis: ubi tota res eodem loco constituenda foret, quo posita cernitur, si interdum nostris temporibus infans adultior, qui utrum baptizatus sit? ignoratur, denuo baptizetur. Sed ne hoc quidem opus est concedere. Potius tuto & recte iniungi potest omnibus illis, qui turbae, quae Act. II. 41. Petri suavis baptizata esse legitur, praebaptizatos vere interfuisse volunt, ut, quoniam affirmant, quod nos negamus, illud idoneis argumentis, non suspicionibus meris, stabiliant. Etenim, si coniecturis pugnandum est, coniecturae coniecturam opponimus. Annon poterant Apostoli, ubi magna turba auditorum post Christi resurrectionem baptismi beneficium sibi expetebat, praemonere, iamiam a Jo. lotos baptismo non egere, sed solum dictis obedire debere? Annon ipsi praebaptizati quaerere ex Apostolis poterant: quid sibi, a Jo. iam lotis, faciendum sit? Noli obvertere: De hoc silet Lucas! Regero enim: Lucas & ignorat tuum Anabaptismum totum, de quo, si ita necessarius fuisset, ut tu iactas, profecto silere non poterat.

Namque, si illa omnia vera essent, quae Disp. Seml. in contemptum baptismatis Joannei satis confuse effundere voluit, necessario inde consequeretur, ut omnium primo Apostoli ipsi, ac dein etiam omnes, vel a Jo. vel abs Apostolis, *) ante Christi mortem & resurrectionem baptizati, denuo, ubi post Christi resurrectionem multo plura de Christi regno edoceri & capere poterant, quam antea vel poterant vel volebant, ad novam hanc religionis Christianae perfectae formulam per novum aliquem baptismum adstringerentur. Num autem, quaeso te, Lucas tam solemnem Anabaptismi historiam in Actis Apostolorum silentio praeterire poterat? Hoc quidem narrat cum reliquis Evangelistis, ipsos Apostolos Jesum quotidie comitantes ante Magistri mortem doctrinas Eius non semper cum cura imbibisse, nec recte percepisse, quoniam scilicet non ad ipsorum palatum erant; postea

C 2

vero

*) Christi baptismum sortassis iterum percepisse
 „Act. II. 41 sed susceptionis necessitatem negamus.“ Hanc vero necessitatem tueretur

Disp. Seml. quam sapienter? Lectores iudicent.

*) Christus sine dubio neminem baptizavit.

vero non solum multo plura edocendos fuisse & edoctos esse a Magistro, ubi in vitam redierat, sed & omnia felicius & rectius intellexisse & ad exsequenda Magistri mandata ab Ipso denuo humaniter invitatos & per effusionem Sp. s. idoneos & promptos factos esse. Sed de reiterato in Apostolis vel omnium primis J. C. a seclis baptismo tam altum silentium est scriptorum N. T. ut omnes, qui sapere velint, sat caussarum videant, cur de necessitate rebaptizandi a Jo. lotos sibi silendum sit potius, quam cum quibusdam Patribus insulse garriendum. *) Quid? quod vel ille ipse locus Act. XVIII. 24. - 28. quem S. R. SEMLERVS recte iubet conferre cum altero illo Act. XIX. magis pro nostra causa militat, quam pro Semleriana. Etenim ille Apollo, ExJudaetus Alexandrinus, & duodecim Ephesii *μαθηται* in simili conditione versabantur, cum istum Aquila & Priscilla plura de religione Christiana docerent, his Paulus manus imponeret impertiendorum donorum Sp. s. causa. Pars enim utraque norat solum ea de Christo & N. T. initiis, quae Jo. Baptista docuerat, a quo & baptizati erant. Jam Apollo, ubi Aquilae & Priscillae institutionem perceperat, secundum Lucam statim incipiebat demonstrare, (id quod ex Aquila & Priscilla modo audierat, sed vi baptismatis Joannei, ut primum percepisset, credere tenebatur) Jesum Nazarenum esse verum Messiam, adeoque fiebat confestim ex discipulo Joannis Christianae religionis a secla, & defensor, ut primum audiret Messiam in persona Jesu apparuisse, sine ulla repetitione caerimoniae baptismalis: quam quidem, si locum invenisset, Lucas aequae commemorandam habuisset Act. XVIII. ac illico Act. XIX. eiusmodi Anabaptismum in simili causa narrare voluisse a quibusdam creditur. Sive enim ex mandato Christi, sive ex instituto Apostolorum rebaptizarentur, Lucas non potuisset eiusmodi mandatum Christi, vel institutum Apostolorum, tam profundo silentio praeterire.

Profundum omnino silentium dico, quo Lucas tale Apostolorum institutum, quod ex Semleri sententia per totum Apostolici ministerii tempus viguisset,

*) Si argumenta Semleri pro novi baptismi necessitate apud Ephesios istos valerent, novo baptismo quotidie opus esset apud omnes Chri-

stianos, quando nova cognitionis incrementa capiunt.

viguisset, in Actis Apostolicis praereat. Etenim vel in illo ipso Actorum loco vexato Cap. XIX. 5. qui tamen unicus est, isque ambiguus, quem Anabaptismi Apostolici fautores pro sua sententia allegare possunt, nec vola, nec vestigium, apparet, unde recte concludi possit, *ex Christi mandato*, vel *ex instituto Apostolorum perenni* rebaptizatos fuisse istos Ephesios. Ad summum, ex verbis Act. XIX. 5. si ex mente Semleri pro Lucae verbis historicis habeantur, hoc sequeretur, quoniam nimirum ceteroquin ex Scriptis N. T. evinci non potest, omnes a Jo. lotos post Christi resurrectionem necessario rebaptizandos fuisse, hos Ephesios, petentes forsân ultro novum baptismum post auditum Pauli sermonem, connivente Apostolo & talem Anabaptismum ad res adiaphoras referente, iterum & quidem in Jesu Nazareni nomen, baptizatos esse: quod quidem sumere, si aliter e difficultatibus quae locum premunt, emergere te posse desperes, non adeo absurdum foret, quam cum Auctore Disp. Hal. baptismum Joannis generatim pro imperfecto, invalido, & per Apostolorum baptismum abrogando, declarare, vel tandem ipsum Dei legatum cum sua doctrina catalogo haeticorum adscribere. *) Sed ne illud quidem adversario dare tenemus, quoniam ex hactenus disputatis nunc longe aliam viam inibimus, demonstraturi, ne quidem Ephesios hos, rite quippe baptizatos, novo baptismo opus habuisse, neque adeo, si opus non habuerint, rebaptizatos.

Quoniam igitur nunc tandem ad locum istum difficilem ex Actis Ap. Cap. XIX. 1-7. speciatim enucleandum devenimus, in praemonendis aliqua nobis ex Disp. Seml. occurrunt, quae laudem merentur, ideoque a nobis hic cum approbatione commemorabuntur. Satis recte etenim S. R. SEMLERVS nobis monuisse videtur, duodecim istos μαθητάς Ephesi propagandae doctrinae Jo. operam dedisse, indeque factum esse, ut, quoniam dona Sp. s. eminentia in omnibus istius aetatis doctoribus Ecclesiae N. T. conspicua esse debebant, Apostolus Paulus, ut primum illos cognosset, de impertiendis donis Sp. s. miris, si nondum illa accepissent, sollicitus esset.

C 3

Neque

*) Idem igitur fatum hoc loco experiendum est Jo. Baptistae, quod nuper Jo. Evangelista ob Apocalypsin subeundum habuit.

Neque adeo ignari erant isti duodecim promissi istius a Deo per prophetas iam in V. T. dati, atque a Jo. prophetarum maximo repetiti, ex quo sub Messiae adventum dona Sp. s. in servos Dei, praesertim in doctores, largiter & ad stuporem usque & summam audientium admirationem, effundenda erant. Illud enim horum duodecim responsum Paulo datum: *ἐδὲ ἐῖ πνεῦμα ἄγιόν ἐστιν, ἠλάσαμεν*, recte a SEMLERO ad sola dona Sp. mira refertur, & explicatur per Ellipsin vocis: *δοθέν* (vel melius ex usurpatione verbi simplicis *ἐστιν*, pro composito: *παρεστίν*). Vtrumvis sumas, sententia haec est, nescivisse istos Ephesios, quod dona Sp. s. miraculosa, quae Messiae adventum & Ecclesiam N. T. nobilitare deberent, iam apparuerint. Quoniam igitur isti Ephesii per baptismum & receptam doctrinam Joannis iamiam in gremium Ecclesiae N. T. recepti erant, Act. XIX. 3. (uti superius evicimus, hanc fuisse vim & efficaciam baptismi Joannei) attamen, apparuisse Messiam cum donis Sp. s. extraordinariis, adhuc ignorabant, etsi edocti a Joanne, tum adventum Messiae proxime instare, tum Spiritum s. Messiae advenientis comitem in donis miraculosis futurum; nil praeterea reliquum erat Apostolo, quam, ut ignorantes edoceret, Messiam in persona Jesu Nazareni apparuisse; omnes a Joanne, etiam tum, cum ipse Jesum Nazarenum nondum norat, in nomen Messiae proxime adventuri baptizatos, reapse & ex Dei atque Joannis scopo in Jesu Nazareni nomen baptizatos esse; adeoque tales vi accepti baptismi Joannei obligari, ut Jesum Nazarenum pro vero Messia recipiant: quo quidem ostenso, si *μαθηταὶ* isti vim orationis Paulinae perciperent, seque in Jesu Nazareni nomen virtute baptismi Joannei baptizatos esse saltem tacendo agnoscerent & profiterentur,*) praeterea, inquam, nil opus erat, quam, ut ex v. 6. Paulus manum illis imponeret, impertientiorum Sp. s. donorum causa: quo facto statim vis & efficacia donorum excellentium Sp. s. sese ex his duodecim Joannis discipulis Ephesi commorantibus ostendebat, id quod Lucas proprie Act. XIX. 1-7. commemorare voluit, praetereaque nihil. Quod si quis dare nolit, hunc ego ex par-

*) Acu rem, quantum ad id, tetigit S. R. CARPZOVIVS in Programmate superius citato, dum adlruit, Ephesios istos Pauli sermo-

ne adductos, ut agnoscerent, se in Jesu nomen a Jo. baptizatos. Sed ex voce *ἰησοῦ* sola hoc erui non debebat.

particula *μὲν* v. 4. five adfit in omnibus codicibus, five minus, five superflua fit; item ex dubia v. 5. conditione, num Pauli, an Lucae, verba contineat? unice & solum argumentari non patior; sed per haecenus a me disputata cogo, ut prius evincat, baptismum Joannis non fuisse Sacramentum N. T. divinitus institutum; non aperuisse aditum ad N. T. Ecclesiam recipientibus Jo. doctrinam & baptismum; non obligasse baptizatos ad amplectendam fidem in Messiam mox appariturum, h. e. in Jesum Nazarenum; sed omnes a Jo. lotos post Christi resurrectionem necessario ex Christi mandato rebaptizandos fuisse, & vere abs Apostolis rebaptizatos esse: id quod, quod probe notandum, tunc non cum Semlero ex Act. XIX. v. 5. loco quippe ambiguo, neque ex praxi Ecclesiae Apostolorum aetatem sequentis ratione baptizatorum abs haereticis habita, multo minus ex hallucinationibus quorundam doctorum de Jo. baptismo nescio quid? garrulentium, priscae vel mediae aetatis, sed ex historia & compage doctrinae in scriptis N. T. Θεοπνευστοῖς obviae demonstrandum foret. Quod cum non nisi ad graecas Calendas fieri possit, sequitur inde, omnes illos Interpretes liberaliorem operam Scriptis s. navare, & multo maiore iudicio uti, qui Lucam Act. XIX. Anabaptisimum quendam, Paulo vel iubente vel approbante, institutum commemorare negant, quam qui cum SEMLERO rebaptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5. clamant.

Ex hisce ita disputatis facile perspicias, VIR SUMME REVERENDE, Theologos nostrae Ecclesiae orthodoxos, non ex sectae studio eo deductos, ut viderent, verba Act. XIX. 5. posse ad Apostoli sermonem, tamquam continuationem idoneam, referri: (quo quidem sumto, omnis suscipio Anabaptisimi cuiusdam Apostolici statim evanescit) sed quia, Scripturas N. T. curatius quippe scrutantes ac tractantes, quam forsitan Patres & cum Patribus errare amantes Doctores Scholastici & traditionarii facere soliterant, probe sentiebant, talem Anabaptisimum Apostolicum, qualem Lucas Act. XIX. 5. commemorare voluisse videatur, toti Systemati doctrinae Joannis & Christi, & Apostolorum praxi adversari, adeoque forsitan solum per opinionis praecipitantiam quorundam Ecclesiae Christianae doctorum ad exemplum in prima

ma

ma Ecclesia rebaptizatorum ex haereticis effectum, ita quasi per manus a Doctoribus traditum, tandem usque ad feliciora Ecclesiae tempora in cerebro Interpretum haesisse. Interim, quoniam hic error Exegeticus, per tot secula inde a primis fere post Apostolorum aetatem mentes Doctorum occupavit, adeoque se auctoritate multorum seculorum tuetur, facile evenire potest, ut etiamnum iis, qui in legendis & laudandis praeiudicium Ecclesiae doctoribus multi sunt, in veritatis praecudicium arrideat, &, ubi sedem semel fixerit, vix expelli possit, praesertim, si ii, qui contra Anabaptismum Apostolicum pugnant, non statim commodum sensum verbis v. 5 subiicere valeant.

De vero igitur & commodo sensu v. 4. & 5. quem utrumque Pauli orationem ad Ephesios *μαθητάς* continere statuimus, nunc videndum. Scilicet: quoniam Ephesii isti ad quaestionem Apostoli: *εἰς τί ἐβαπτίσθητε*; ita respondebant, ut doctrinam Joannis, quam solam adhuc norant, & quae tantum praeparatio ad Christianismum esse debebat, quasi unice laudarent, vel celantes, vel obliti, quod Jo. omnes a se baptizatos sua doctrina ad Jesum Messiam ablegarit, & suo baptismo ad fidem huic habendam obligarit; Apostolus hos *μαθητάς* ante omnia de vero scopo doctrinae Joanneae admonendos sibi sumebat, qui fuerit, ut crederent omnes, qui Joannem audierant, seseque dederent Messiae Jesu, qui quippe non multo post initia baptismi Joannei apparuerit. Hoc sibi vult Apostolus v. 4. & hic sensus & scopus sermonis Apostolici cuiusvis lectori patebit, si verba textus sine praecudicio *) legat & ponderet, vel cum vel sine particula *μεν*, licet de v. 5. interim statuatur, quidquid velit. Ex hoc igitur scopo doctrinae Joanneae, quem vel illi ipsi Ephesii non omnino ignorare poterant, Apostolus dein v. 5. *argumentatur* id, quod nos superius aliunde iam evicimus, scilicet: omnes a Jo. lotos pro vere in nomen Domini Jesu Christi baptizatos habendos esse, ideo, quia per fidem Jesu Nazareno habendam, quam Jo. omnibus

iniun-

*) SEMLERVS hunc versum, imo totam pericopen AG. XIX. 1-5. sine praecudicio legere non voluit. Paraphrasis enim huius pericopes ab ipso suppeditata plena est idearum ab ipso noviter ad extollendum discrimen in-

ter Jo. & Christi religionem excogitararum, quas Lucae textus prorsus ignorat. In se ipsum igitur sine dubio dicere voluit, quod in Praef. de interpretibus sensum in scripturas inferre, non esse, amantibus conquiretur.

iniunxerit, cum Ipso, tamquam Ecclesiae Capite, quasi in antecessum uniti, *) atque ad Jesum fide amplectendum a Jo. per baptismum obligati fuerint. Itaque per ἀκούοντες δὲ v. 5. intelligendi sunt auditores doctrinae Joanneae illi, qui simul dictis Jo. obedientes fuerant, & non solum baptismi beneficium sibi expetierant, sed & ceteroquin Joannis admonitionibus parere parati erant, ut per Hebraismum vox ἀκούειν pro Composito ὑπακούειν adhibeatur, & sensus v. 5. cum 4. nunc connexi hic sit: Quoniam Jo. baptismus semper cum admonitionibus ad populum his coniungebatur, ut crederent in Messiam Jesum, ut primum apparuerit, vel ipsis innotuerit, sequi exinde, ut omnes Joannis praeconio obedientes & eius baptismum suscipientes re vera iam in nomen Domini Jesu baptizati fuerint. Quae quidem Pauli commentatio de virtute, scopo & efficacia baptismi Joannei non poterat non illos Ephesios si γνήσιοι Jo. discipuli essent, adducere, ut Jesum Nazarenum pro vero Messia confestim amplecterentur. Quod si tacendo tantum post sermonem Pauli perceptum vel, si malis, peculiari confessione manifestarunt, Apostolus tunc sine haesitatione manus ipsis imponere & dona Sp. s. excellentia ex voto suo cum ipsis communicare poterat v. 6. **)

Ita-

*) Pertinet omnino ad profunda sapientiae divinae mysteria & hoc: cur Deus voluerit sacramentum initiationis in N. T. nempe baptismum, ante Christi mortem instituire & omnium primo tali doctori administrandum iniungere, qui ipse Messiam necdum norat, & baptizandos ad Magistrum haecenus ignotum ablegare debebat, unde quidem hic scrupulus cuiuspiam nasci posset: num ita baptizati in Jesu Nomen baptizati esse recte dicantur. Sed res in se extra dubium est & a nobis superius demonstrata: Joannis baptismum non nisi pro baptismum in Jesu Nomen habendum esse. Quod autem Joannes muneris initia celebranda inveniebat ante, quam ipse Jesus se praesentem exhibuisset, & multo maiorem turbam doctrinae suae conciliare debebat, quam Christus ipse in vita degens collegerit, id omne in commodum Christianae religionis cedere debebat, quae per Jo. doctrinam multos affectas in Judaea quasi anticipare debebat

ante, quam offendiculum crucis manifestaretur.

**) Hoc modo omnia apte cohaerent in Lucae narratione, quae re vera hiulca sunt & manent, si in v. 5. anabaptismum Apostolicum a Luca commemoratum statuas. Profecto Pauli sermo, si v. 4. finibus solis includitur, abruptus est, & rationes moventes non includit ad suscipiendum vel imperandum novum baptismum, nisi hae ab Interpretibus Anabaptismum videre cupientibus ex ipsorum cerebro adfluant. Quid? quod Lucas, si v. 5. baptismum Ephesius denuo collatum narrare voluisset, sine dubio, perspicuitatis ergo, ita verba struxisset: ἀκούοντες δὲ αὐτοῦ, vel τῶτο ἔτι ἀκούοντες, vel potius omnium certissime, uti aliis locis, scripisset: ἔτι ἐν Ἰουδαίᾳ (Παῖδος) δόξῃ βαπτισθῆναι. Certo idearum nexus, si novum baptismum in v. 5. videre velimus, in Lucae & lectoris animo aliter suppeditari non potest, quam si pro certo adsumas, quod in quaestione

Itaque locum Act. XIX. ab omnibus, quae ipsum premunt, difficultatibus feliciter liberasse nobis videmur, sic, ut Scripturae s. invicem & Jo. ministerium cum Christi & Apostolorum ministerio egregie consentiant. Nil igitur restat, AMICE OPTIME, quam, ut Tibi me partim excusem, si meae epistolae prolixitatem incusandam reperias, partim confirmem, me laboris fructum exoptatum tunc me percepisse existimaturum, si Tibi, VIR SYMME REVERENDE, & aliis Ecclesiae nostrae Theologis cordatioribus operam hanc meam ita probaverim, ut propter auctoritatem atque constantiam Scripturae s. & omnium primorum religionis Christianae praecorum hic denuo stabilitam, ac vindicatam existimationem Theologorum Ecclesiae nostrae orthodoxorum, huius commodis inservire & ad confirmandos in veritate titubantes vel ad lapsum proclives idonea esse mea haec disputatio existimetur. Etenim, cum Tibi, VIR S. REVERENDE, liceat esse adeo felicem, ut munus Doctoris Theologiae in ea urbe obeundum habeas, quam non modo, ut solum natale & theatrum virtutum b. Parentis, sed, & tamquam sapiens Lutheri immortalis admiratoris, ideo vehementer amas, quoniam ex illa, tam-

stione est: num apud Iosot a Joanne cum susceptione fidei in Jesum Nazarenum novus quoque baptismus necessarius fuerit? Huius autem necessitas ex nullo alio N. T. loco, nisi ex hoc controverso, argui potest. Tota ergo vitiosa est haec interpretatio, quae novum baptismum Jo. discipulis necessarium fuisse ex hoc unico loco ambiguo adstruit, hunc vero locum paulo obscuriorem de noviter accepto baptismo tuto explicare non potest, nisi praesupponatur, quod hic expresse non legitur, necessario rebaptizandum fuisse Joannis familiam: cui sententiae tamen tota Scriptura reliqua repugnat. At sumas mecum, Paulum v. 4. & 5. Ephesios arguendo convincere velle, ipsos, quippe

in nomen Jesu a Joanne virtute doctrinae Joannis, qua omnes baptismum petentes ad mox venturum Messiam alegebat & fide amplectendum obligabat, olim iam baptizatos, teneri, ut fidem in Jesum Nazarenum cum reliquis disciplinae Christianae praeceptis, ut primum haec audiant, recipiant, Ephesios istos quoque vim Paulinae orationis inter audiendum percepisse, & consensum suum quocunque modo manifestasse, id quod, quoniam ex subsequente impositione manuum Paulina colligi poterat, Lucas brevitati studens disertis verbis commemorare volebat: tunc omnia plana sunt, & Pauli verbis & factis & Lucae narrationi elegantia debita & accuratio mira constat.

tamquam ex Sione, doctrina Joannis, Christi & Apostolorum vera, sana & genuina, posteaquam inde a multorum retro seculorum decursu de manibus multorum illotis, qui, velut doctores, illam improvide & negligentes lucem Scripturae tractarant, & aliis ita tradiderant, ingentem squalorem attraxerat, per Lutheri divinitus excitati ministerium ab illo squalore purgata, & nativo suo splendori atque puritati reddita, exiens per totum Christianum orbem percrebuit, atque apud omnes, qui veritatem & lucem caelestem amarent, cum insigni provinciarum emolumento & verae sapientiae ac eruditionis solidioris incremento, sedem haecenus inconcussam nec porro amovendam fixit; recte profecto augurari posse mihi videor, me Tibi de Templo huius Academiae, in quo olim ignea vox Saxonici Joannis, Lutherum dico, per plures annos personuit, & auditores aequae futilibus Papisticis, ac Pharisaeorum erant, traditionibus unice intentos ad *μετάνοιαν* Joanneam, h. e. ad veram & vivam fidem ex folis Scripturae fontibus hauriendam & in Jesu Christo Propitiatore unice reponendam atque in vitae emendatae fructibus dignis lucentem evocabat, iam solemnissime post calamitates bellicas inaugurando ovanti, ad laetitiam Tuam quodammodo augendam, gratius munusculum cum hac epistola mittere non potuisse, quam tale, quod orthodoxae doctrinae Ecclesiae nostrae EvangelicoLutheranae stabiliendae dicatum esset. Etenim vel ipse Lutherus, etsi Augustini auctoritate hinc inde nonnunquam ultra limites ex infirmitate quadam abreptus fuerit, ut v. c. in loco Act. XIX. 5. interpretando factum, tamen ceteroquin in doctrina de Baptismo adeo rectum, genuinum, imo divinum sensum, doctrinaeque Jo. & Christi conformem e Scripturis imbiberat, ut statim

videret, homines suae aetatis, quantumvis a vero tramite aberrassent, tamen ideo non rebaptizandos, sed tantum ignis & Spiritus baptismo tingendos, h. e. e Scripturis meliora edocendos atque ad haec amplectenda fervido spiritu admonendos esse. Similiter vim & efficaciam & scopum genuinum baptismi inter Christianos ex Dei instituto vigentis adeo probe callebat, ut per hunc baptismum omnes Christianos aequè obligari clamaret ad suscipiendum in vita sancta, pura & casta sacerdotum illud spirituale, quod Scr. s. Christianis commendat, indeque argueret, non nisi in contumeliam baptismi vergere & hypocrisin detestandam Ecclesiae Christi inferre, quod vota monastica ex Jure Canonico recentiori in Papatu vim novi cuiusdam baptismi habere, imo Dei baptismum virtute sua & efficacia longe superare credantur. Haec igitur & talia considerans, quid Tibi VIR S. R. & Academiae universae Tecum ovanti, hoc tempore gratius, dignius & accommodatius exoptem, quam, ut Deo volente & annuente ideoque a me precibus piis implorato, Solennitas hodierni diei, quo Templum Vestrum Academicum restitutum, exornatum, consecratum videtis, Vobis sit pignus & arrhabo amoris divini, unde coniiciatis, Deum Spiritu suo & Clementia sua ita Vobis ad finem usque seculi affuturum, ut doctrina Joannis Baptistae, Christi & Apostolorum invicem quippe consentiens, & in Lutheri doctrina reviviscens, nunquam non intentata, incorrupta, irretardata in Vestra Academia & Vestro Templo resonet, omniumque, tum Doctorum, tum auditorum, mentes ita afficiat, ut, praeter animorum salutem inde vel maxime exspectandam, omnium quoque scientiarum florem ad normam Spiritus & Veritatis apud Vos succrescere & augeri cum insigni Vestro gaudio videatis.

Pon Ye 3188

40

ULB Halle

002 108 143

3



TA → OL

m. e





15.
EPISTOLA GRATVLATORIA

AD

VIRVM

SVMME REVERENDVM MAGNIFICVM EXCEL-
LENTISSIMVMQVE

ERNESTVM FRIDERICVM
WERNSDORFIVM

SS. THEOL. D. ET P. P. O. IN ACADEMIA VITEMBERGENSI NEC NON
ALVMNOR. ELECTORAL. EPHORVM ET ORDINIS SVI H. T.
PROCANCELLARIVM

IPSI SOLENNITATI

D. VI. AVG. MDCCLXX.

QVO

TEMPLVM ACADEMICVM RESTAVRA-
TVM INAUGVRABITVR

DICATA

A

JOANNE GOTTLIEB THENIO.

A. M. ET DIAG. AD ÆD. CRVCIS SVBSTIT.
P. T. EMERITO.

EXPLICATVR LOCVS ACT. XIX. 1-5.

D R E S D A E

LITTERIS JOANNIS MARTINI LEHMANNI
TYPOGRAPHI FRIDERICOSTADIENSIS.

